

3. Mutuæ petitionis finis est compensatio (1). Itaque in causis, in quibus compensatio locum non habet, ne reconventio quidem proponi potest. Hujusmodi sunt causæ criminales, in quibus agitur criminaliter (2), quoniam *innocentia, non relatione criminum reus purgatur* (3), præjudiciales (4), depositi (5), spoli, in quibus, uti demonstratum supra est, spoliatus respondere non cogitur, nisi antea restituatur (6), causæ momentaneæ possessionis, quæque celerem exitum postulant (7), denique in negotiis ecclesiasticis coram laico iudice reconventio fieri non potest (8).

(1) Tertullianus Contr. Marcion, l. 2 c. 20 p. 392 ed. Rigaltii Paris. 1675, inquit, Hebræos Ægyptiis ab se vasa aurea, et argentea petentibus opposuisse mutuas petitiones, agentes, sibi etiam deberi mercedem pro labore, atque opera, quam impenderant in dicendis lateribus, in civitatibus, atque in villis ædificandis, quod postea *compensationem* rectissime appellat. Quæ compensatio vel fit ipso jure, vel per exceptionem doli inducitur, vel per mutuam actionem. Nam mutua hæc actione alia actio tollitur, et debitum compensatur, ut est in Capitularibus Caroli M. l. 7 c. 305 col. 730 t. 1 ed. Baluzii Ven. 1772. Ita per *recautionem*, ut inquit Augustinus lib. de Cur. *pro mortuis* c. 11 opp. t. 6 col. 524 ed. cit. *cautio evacuat*, hoc est dissolvitur; et ita per *evacuatoriam*, quam memorat Marculphus Formul. l. 2 c. 27 et 35 apud Baluzium Capitular. Reg. Franc. t. 2 col. 289 et 291 ed. cit. (hoc est per syngrapham, qua creditor confitebatur, suam sibi pecuniam fuisse solutam) *vacua, et inanis permanet obligatio*.

(2) Can. 1, 2, et 4, c. 5 qu. 1, l. 1, et 19 cod. *de His qui accus.*

(3) L. 5 ff. de Publ. jud.

(4) Cap. 1 de ord. cognit.

(5) Cap. 2 et ult. de Deposit.

(6) Cap. 1 de restit. spoliat. in 6.

(7) Glossa in cap. ult. de ordin. cognit.

(8) Confer Glossam in can. 1 c. 5 q. 8 verb. *judicem*, et in c. 4 de *judic.* verb. *non tenet*. — (Nec in causa temporali coram iudice eccl., ex iuribus adductis. N. S.)

4. Cui jus agendi, ei reconveniendi jus est; quoniam reconvenire est agere, ideoque inutiliter reconvenit excommunicatus, quod inutiliter agit (1). Coram arbitraris reconventio fieri non potest, quoniam eorum tantum est iis de rebus iudicare, quæ compromissi lege continentur (2).

(1) Cap. 5 de Except.

(2) Cap. 6 de Arbitris.

5. Duo parit mutua petitio, seu reconventio; primum est, ut jurisdictio prorogetur, adeo ut qui coram iudice reconvenit, eundem amplius recusare non possit (1); alterum, ut res utraque, actio scilicet, et reconventio simul uno, eodemque iudicio

cognoscatur (2). Sed ut hæc duo efficiat mutua petitio, initio ipso litis proponenda est, antequam litigantes ad alios judiciales actus progrediantur (3). Nam si reconventio fiat in progressu, aut in exitu litis, prorogabit quidem jurisdictionem (4), sed non etiam efficiet, ut reconventio una cum actione eodem iudicio absolvatur.

(1) Cap. 4 de Mutuis petit. Confer quæ dixi §. 2 not. 3.

(N. S. Leg. 52 tit. 2 *Partit. III.* Verum cave ne idem de incapaci iudice, ac de incompetenti dicendum putes; quum enim in eum consentire partibus interdicitur: *indic. cap. 12 de Foro Compet. cap. 4 de Judiciis*, et leg. 7 tit. 1 lib. 4 *Novis. Compilat.*; inde est, jurisdictionem ejus prorogari non posse.)

(2) Cap. 1 cit.

(3) Reum statim mutuo agere debere, scriptum est in auth. et consequenter cod. de sent. et interloc.; et in clem. 2 §. 1 de verb. signific. dicitur *in ipso litis exordio*. Neque aliud suadet cap. 5 §. 1 de rescript. in 6, ubi verba *eodem durante iudicio* ita sunt intelligenda, ut *apud eundem iudicem* reconventio fieri debeat, non autem ad reconventionis tempus referenda sunt.

(N. S. Reconventio in ipso litis exordio instituenda est; hoc est, ante litem contestatam, vel in continenti: Glossa in *Authent. « Et consequenter verbo « Alioquin » Cod. de Sent. et Interloc.*;—et intra terminum viginti dierum: lex 1 tit. 7 lib. 11 *Novis. Compilat.*)

(4) Cap. 5 de rescript. in 6.

TITULUS XIII.

DE DILATIONIBUS.

1. DILATIO QUID?—2. DILATIONUM DISTINCTIO.—3. QUANDO EX DENTUR?—4. OMNES JUDICII PARTES SCAS HABENT DILATIONES.—5. QUOMODO DANDA SINT?

1.

NIHIL in foro, et judiciis usitatius est dilationibus. Nam eas sæpe reus ad parandas exceptiones, sæpe etiam actor ad probationes confirmandas à iudice petit; idque non initio solum, sed etiam in progressu litis. Dilationem vocamus justum aliquod temporis intervallum, quod litigantibus conceditur ad actum aliquem judicalem commodius expediendum.

2. Dilationes vel à lege dantur (1), vel mutua litigantium voluntate constituuntur, vel à iudice conceduntur. Sed Jus Canonicum tribuendarum dilationum omne fere arbitrium iudici

commissit (2). Quod non ita intelligendum est, quasi iudici integrum sit, quas velit, dilationes concedere suo arbitratu. Nam ut dilationes concedantur, justa causa opus est, eaque rite demonstrata, denegari non possunt. Hinc si nimis breves datæ sint dilationes, quæ pares non sint rei, præsertim gravi, et implicatæ, justa est appellandi causa (3).

(1) De his agitur in titulo Codicis de *Dilationibus*.

(2) Cap. 24 de offic. et potest. Deleg.

(3) Cap. 1 et 4 de *Dilation*.

3. Dantur dilationes ad inducendos testes (1) ad exceptiones peremptorias proponendas (2), ad proferenda instrumenta, ad se purgandum (3), ad accusandum, et agendum (4), ad cursum appellationis prosequendum (5).

(1) Cap. 9 de probat.

(2) Can. 1 et 5 c. 5 q. 3.

(3) Cap. 53 de testib. et attestat.

(4) Cap. 14 de accusat.

(5) Cap. 15 de offic. iudic. ordin.

4. Quemadmodum in iudicio sunt partes tres, ita singulæ suas habent dilationes. Hinc triplex earum genus distinguitur. Nam aliæ dantur in prima litis parte, videlicet à citatione usque ad litis contestationem, et hæc vel citatorix, vel deliberatoriæ vocantur. Citatoriæ dantur ad comparandum, dilatoriæ ad deliberandum, num ille, qui in iudicium vocatus est, litem suscipere debeat. Quædam autem conceduntur à litis contestatione usque ad sententiam, quæ probatoriæ dicuntur, quia dantur ad parandas, afferendasque probationes. Denique in tertia litis parte dilationes conceduntur ad audiendam sententiam, vel mandatum exequendum, quæ definitoriæ nuncupantur.

5. Dilationum tempore iudicis officium conquiescit. Et quia arbitrarias tribuere dilationes, actus est judicialis, idcirco concedendæ sunt à iudice pro tribunali sedente, causaque cognita (1). In dilationibus, quæ à jure dantur, nulla causæ cognitione opus est.

(1) Can. ult. c. 3 q. 3. — De *Dilationibus* consul. Præpositi D. Joan. Sala opus *Digestum Romano-Hispanum*, ed. Matrit. 1824, tom. 1 pag. 51 et seq.

APPENDIX.

DE PROCESSU CRIMINALI INSTRUENDO.

(N. S. Criminum vindictam quod spectat, distinguendum omnino jus antiquum inter, et novum. Jure namque antiquo, uti ex veterum Conciliorum Actis elucet, istiusmodi pene erat. Primo querela libello conscripta ab accusatore, Episcopo, vel Synodo, pro personæ accusatæ conditione exhibebatur. Neque enim facile sine accusatore, et libello veteres judicia instuebant.

Accusatus vero ter, quaterve in jus vocari solebat, ut defensionis locus non deesset. In Synodo Chalcedonensi Eutyches ter ex Episcoporum sententia, ut ad Synodum accederet, compellatus est. At citatus si coram adesse detrectaret, ipse ob contumaciam (quæ crimen acerbissima semper pœna dignum habitum est), excommunicationis, vel depositionis pœna multabatur: quod eadem Synodus in Eutychetem præstitit. Quod si coram adesset, interrogatus audiebatur pro se dicturus, ipseque vicissim testes audiebat, instrumenta inspiciebat: si quid ipsi excipiendum, vel respondendum superesset, id ei licebat: denique Episcopus, vel Synodus sententiam dicebat.

Porro in eis peragendis plura quam diligentissime observantur: 1 ne qua temere, præsertim adversus Presbyterum, et Episcopum, reciperetur accusatio; pro quibus tanta diligentia electis illa jure ponderosa habebatur præsumptio; ne facile crederetur, nisi quod duobus, vel tribus testibus probatum esset; et quidem juxta mandatam Apostoli I Timoth. V, v. 19: *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus*. Cujus quidem Pauli testimonio edocti Patres Syn. Bracar. II Can. 8 ita decernunt: *Si quis Clericorum aliquem in accusatione fornicationis impelit, secundum præceptum Pauli Apostoli, duo, vel tria testimonia requirantur ab illo*. Quæret fortasse quispiam, cur nam hic Apostolus peculiare de Presbyteris mandatum dederit, quum lex sit omnibus communis, ne scilicet quis uno contra se dicente testimonium condemnetur, sed ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum? *Deut. 17 v. 6, et 19 v. 15*. Sunt qui censent Apostolum eo spectasse, ut hujusmodi cautio, cum laicis etiam alioquin adhibenda, religiosius servaretur cum Presbyteris, qui sanctio-

res habentur, magisque innumes, quorum dignitas sublimior est, nomenque odiis magis obnoxium. At verisimilior illorum videtur interpretatio, qui docent, Apostolum non de condemnatione solum loqui, verum et de accusatione, atque adeo magis proprie de accusatione: adeo ut præcipiat, ut si laicus, licet ab uno accusatus, damnandus non est, nisi duorum, aut trium testimonium criminis veritatem contestetur, adversus Presbyterum tamen ne accusatio quidem recipiatur, nisi duorum, aut trium testimonio firmata: idque tum pluribus de causis, tum vel maxime quod haud raro fideles Presbyterorum, atque adeo Pastorum suorum correctionibus offensi, eorum crimina exaggerare consuescant, atque ad ipsos criminis insimulandos facile pro-
siliant.

Tum 2 studiose inquirebant in accusatores, num prohi, et fide integri, an vero subdoli, et mendaces; uno verbo, utrum ex *Legum, ac Canonum sententia* idoneas ad accusandum personas esse, constaret; uti constituit Synod. Tolet. VI *Can. 9.* Immo nisi accusatores objectum crimen aliis etiam testimoniis confirmarent, excommunicationis pœna, quæ in accusatos infligenda foret, plectebantur; id quod sanxit præf. Syn. Brac. II *Can. 8.* eamque excommunicationem perpetuam esse constituit Syn. Illiberit. *Can. 75.* his verbis: *Si quis autem Episcopum, Presbyterum, vel Diaconum falsis criminibus appetierit, et probare non potuerit, nec in fine dandam esse communionem.* Inquirebant etiam, et potiori jure in testes, scilicet qui essent, qualesve, quibus moribus, qua fama, et quo animo ad dicendum testimonium accessissent. Unde in falsos testes jus talionis sancitum reperitur: *Deut. 19 v. 19: Constit. Apost. Lib. 11 cap. 49, Leg. 1, 2, et 3 Cod. Theod. de Calumniat. Leg. 6 Tit. 4 Lib. 2 For. Judic., Leg. 26 Tit. 11 Partit. III, et Leg. 4 Tit. 6 Lib. 12 Novis. Compilat.* Tum in falsos testes secundum objecti criminis gravitatem animadvertendum præcipit Syn. Illiberit. *Can. 74.*

Adhæc 3 rei, ad exemplum terroris, publice increpabantur; rei scilicet non quilibet, sed qui publico judicio convicti essent: *Apost. I ad Timoth. 5 v. 20.* Sicut enim haud facile accusatio recipienda, ita quum quis legitimo fuerit judicio convictus, ei parcendum non est, sed *coram omnibus*, id est palam, et in publico Ecclesiæ conventu arguendus.

Summopere etiam 4 cavebant, ne in acceptionem personarum, divinis oraculis toties damnatam, inciderens, quippe qui per-uasi, fore ut quo judicio judicarent, ipsi aliquando judica-

rentur: *Deut. 1 v. 17, 16, v. 19, Matth. 7 v. 2, Constit. Apost. Lib. 2 cap. 57.*

Demum 5 ut omnia rite, legitimeque confecta constarent, Notarii h. e. Diaconi, vel Lectores per notas, sive siglia scribere parati, cuncta, quæ in judicio fiebant, dicebanturque, cum à Judice, tum à partibus, distincte, suis ipsorum verbis, ne interruptionibus quidem, et exclamationibus omissis, scripto consignabant; cui veluti processui, instrumenta prælecta inserebantur, ut de judiciorum integritate constaret posteris.—Hæc judiciorum Ecclesiasticorum in criminibus vindicandis facies antiqua.

Sequitur temporibus, Juris Romani studium, uti in causis civilibus, ita et in criminalibus sollempnia formularum plurimasque ambages, quibus hodiernus criminalium judiciorum ordo scatet, è foro laicali in Ecclesiasticum invexit. Hanc judicandi rationem, qua possumus hic brevitate, et perspicuitate explicandam adgredimur.

Ac primo receptis jam, probatisque accusationibus—*de accusatione, denuntiatione ac inquisitione v. hujus voluminis pagg. 31 et 32*—tum et testibus auditis, aliisque præviis jam expletis informationibus, ut ajunt, Judici inspiciendum est, num Rei captura decernenda sit, an vero simpliciter citandus. Neque enim quemquam fas est in carcerem detrudi, nisi quem legitima indicia, vel gravioris admissi criminis, vel fugæ suspectum fecerint. Hanc inquisitionem tum jus civile *Lrg. 2 Cod. de Custod. reorum—et Leg. 1 Tit. 29 Partit. VII,*—tum jus Canonicum *Cap. 45 de Sentent. excommunic. in 6,*—et Syn. Valent. an. 4563 *Sess. 3 Tit. 3 cap. 3*—Judicis prudentiæ prorsus committunt; adeo ut ex *Constit. Regni contra effrenatos,* capitali judicio subiciantur, qui sine Superiorum mandato personam aliquam, vel bona capere, retinere, vel custodire audeant. Nemini autem, nec Alguacellis ad id deputatis, licet absque judicis mandato quemquam capere, vel ejus bona detinere, aut sequestrare: *Leg. 3, et 4 Tit. 33 Lib. 5 Novis. Compilat.* Quænam vero oporteat esse inquisitio, ut Clericorum famæ quam delicatissime consulat Judex Ecclesiasticus, diserte docet Syn. Oicens. an. 598 *Can. 2;* scilicet, ut si de Clericis quidquam malum fama dictaverit, *omnia argutissime perquirantur, ut neque per falsitatis obumbrationem quisquam notetur; neque per quosdam excusationes admissum facinus operiatur.*

Rei in carceres detrusi, custodiæ dumtaxat nomine sunt de-

tinendi, haud vero ut ibi torqueantur ad interitum, macerentur in aedia, aut acerbitate ulla adfligantur: *Leg. 8 §. 9 Dig. de Pœnis, et Leg. 44 Tit. 29 Partit. VII.*

Principes nostri, humanitate, et pietate conspicui, ab squalidis, atris, et horridis carcerum ergastulis abhorrentes, plura pro reorum commoditate servanda præscripserunt: *Leg. 6 et 44 Tit. 29 Partit. VII; et Philippus II Leg. 4 Tit. 38; 4, 6 et 7 Tit. 39 Lib. 12 Novis. Compilat.*

Clerici vero in publicum Episcopalem carcerem detrudendi, *trahendi sunt modeste, ac decenter.... ut Ecclesiastici Ordinis, et dignitatis magna ratio habeatur*, ut sanxit Syn. Valent. an. 1565, *Sess. 3 Tit. 3 Cap. 3.* quia et ea qua par est humanitate, atque etiam veneratione haberi debent; quocirca Episcopis injungitur, ut saltem semel in mense suos adeant carceres, suoque ibi mandato retentos Clericos visitent: Syn. Prov. Tolet. an. 1565 *Act. 2 Cap. 13, et Compostel. Actione 3 Decret. 1.*

Quum Reus neque fugæ suspectus est, neque pœnæ relegationem excessuræ videtur obnoxias, poterit à Judice simpliciter *ad informandum* citari. At quoties in causis etiam levioribus vel plena habeatur probatio, vel indubia occurrant indicia, tunc Judici jus est decernere, *ut reus citetur ad informandum, et capiatur.* Quæ citatio *personalis* à forensibus vocatur: ea enim ipsamet persona in judicium sisti cogitur, atque ad carceris custodiam vi publica pertrahitur. Verum quum indicia oppido levia sint, licet crimen sit capitale, Judici tamen nonnisi citatio *ad deponendum tanquam principalis* decernenda præscribitur. At si citatus ad deponendum, in judicio se non ostendat, inque contumaciæ crimen incurrat, tunc recte Judex decernet: *Cite-tur ad informandum: ex quo contumax ad deponendum:* indiciorum enim defectum contumacia supplet. Demum ubi crimen sit prorsus ambiguum, ad deponendum simpliciter inquisitus plerumque citatur; præsertim si bono fruatur nomine, vel saltem malo non laboret: gravia enim requiruntur indicia, ne temere alicui crimen adfigi videatur. Postremo citatio *ad dicendam causam quare* à Judice haud raro decernitur, eaque in Curiis Ecclesiasticis præcipue locum habet, quum de aliqua censura infligenda agatur. Tunc enim Reus citatur *ad dicendam causam, quare non debeat excommunicari, suspendi, aut interdicti à divinis:* vel si latae sententiæ ea fuerit, *quare declarari non debeat incidisse in excommunicationem.*

In jus vocatus citatione personali, si infirmitate, aliove le-

gitimo delineatur impedimento, excusatur; *Can. 1 Causa 5 Q. III, Leg. 45 §. 4 Dig. Ad Leg. Jul. de adult., coer. et Leg. 44 Tit. 7 Partit. III.* Illustres dumtaxat personæ criminalia judicia per procuratores subire non vetantur: *Leg. ult. Cod. de Injuriis.* Non excusabantur olim in Hispania ex *Leg. 44, et 12 Tit. 5 Partit. III:* ac dein consuetudine inductum fuit, ut id genus Reorum, sive nobiles sint, vel ignobiles, in judicio se sistant per Procuratores.

Citatum intra statutum à lege tempus, in judicium venire detrectantem, judex contumacem rite declarabit. Ut autem contumaciæ pœnis obnoxius fiat, necessum omnino est, ut semel atque iterum contumaciæ incusetur, legitimo inter utramque incusationem dilapso spatio. Porro pœna, qua in contumaces animadvertitur, in Curiis sæcularibus est multa pecuniaria; vel alia acerbior secundum delicti, vel contumaciæ gravitatem, ex Jure nostro Regio: *Leg. 4 Tit. 37 Lib. 12 Novis. Compilat.* In Ecclesiasticis vero est pœna tantum spiritualis, uti in causa fidei excommunicatio: *Cap. 7 de Hæreticis in 6;* aliave similis in ceteris fori Ecclesiastici causis, levitati, vel gravitati criminis, aut contumaciæ adtemperanda: *Cap. 8 de Dolo et contum.*

Demum in ipso delinquendi actu, sive, ut ajunt, in *flagranti* crimine quisque, non modo à publicis Curiae satellitibus, verum et à quibuscunque etiam privatis deprehendi, vinculis constringi, suoque judici exhiberi poterit, præsertim si agatur de furibus manifestis: *Leg. 3 §. 4 Dig. de Furtis;* de raptoribus virginum, vel viduarum, diaconissarum, iisdemque auxilium præstantibus: *Leg. 54 Cod. de Episc. et Cleric.* Consonat hisce legibus Alphonsus Sap. in *Leg. 2 Tit. 29 Partit. VII,* de maleficis, b. e. magicis artibus cuicui nocentibus: *Leg. ult. Cod. de Malef. et mathem.*

Reus in judicio jam constitutus, legitimum debet examen subire, suoque judici legitime interroganti, de Capitibus jam collectæ informationis respondere: *Leg. 4 Tit. 29 Partit. VII.* Immo Jure nostro Hispano ipse per se Judex hujusmodi Reorum examen peragere tenetur: *Leg. 6 Tit. 9 Lib. 11 Novis. Compil.* Verum legitimum Reorum examini, ut accusatores intersint, anti-quæ tum Civiles, tum Canonice leges præscribunt.

In quibusdam Fori Ecclesiastici Tribunalibus inductum est in Hispania, ut Reorum examini *Fiscalis* intersit; at hæc praxis generatim non oblinet. In sæcularibus vero nunquam citatur *Fiscalis*, ad confessionem Reorum audiendam; sed sola Judicis, et Notarii excipientis præsentia peragitur.

Examen Reo deferendum est juxta Interrogatoria, quæ Minister Fiscalis, aliusve officialis quantocius Judici post citationem exhibere cogitur. Hisce Interrogatoriis Reum in judicio sistentem sine mora respondere oportet; neque datur ei dilatio ad deliberandum: atque adeo Reus plerumque prius interrogatur, quam ipsi dentur defensiones, tradaturque exemplar indiciorum, sive informationum. Tum Judici sive Commissario diligentia quanta maxima inspiciendum est, num Reus constans sit in deponendo, an vacillet; num aliquod timoris indicium prodatur, voce, colore, trepidatione: num contraria sibi, et repugnantia imprudens proferat etc.

Examine peracto, vel confestim, vel post dilatas (si quas Reus protulerit) exceptiones, datur ei à judice terminus dierum fere quatuor, vel plus, minusve judicis arbitrio, tum Reo ad sese defendendum, tum ministro Fiscali, ut ajunt, ad impingendum.—Jure nostro Regio, et Ecclesiasticorum Judiciorum moribus, examine confecto, et recognita à Fiscali Rei confessione, iste accusationem exhibet, cujus trasumptum Reo traditur: *Leg. 37. Tit. 16. Partit. III.*, et *Leg. 14 Tit. 1 Partit. VII.*, ut intra tres dies suam paret proponendam defensionem: *Leg. 8 Tit. 27 Lib. 4 Novis. Compilat.*—Quoniam vero testes, prius quam reus in jus vocatus suas proferre sinatur defensiones, ad pœnam inferendam nullo pacto valent, et quidem utroque jure, civili, et canonico: *Novell. XC cap. 9*, *Cap. 2 de Testibus, Can. 7, Caus. 2 Q. 1*; hinc primum Testes, ut ajunt, recolligendi sunt, sive denuo audiendi, citato antea Reo ad videndum ipsorum juramenta, cui etiam eorundem testium nomina, et cognomina sunt patefacienda. Quod Jure Hispano cautum est: *Leg. 17 Tit. 32, Lib. 12 Novis. Compilat.*; quam quidem secundam hanc testium depositionem, uti prorsus necessariam, atque essentialem habent Juris periti, ac vulgo *Ratificationem* adpellant.

Atqui Testes satis non est, ut congruas adhibeant Rei interrogatoriis responsiones. Etenim de integro à judice legitime interrogandi sunt, perinde ac si nunquam interrogati fuissent.—In Hispania necessum non est, ut testes de integro à judice interrogentur; sed satis est, ut prior ipsis relegatur depositio, an ratam habeant, an eam omnino, vel partim corrigere velint; tantumque examinandi sunt quoad ea, quæ Fiscalis, vel adversarius de novo exponit ad pleniorē delicti probationem.

Nonnunquam depositionum renovatio in ipsius Rei conspectu testibus præstanda est; quæque vocitari solet *Confrontatio*, qua-

si facta fronte ad frontem, ac tribus præcipue in casibus: 1 ubi testes aliquid deponant Rei confessioni omnino contrarium. 2 Ubi testes nomen, et cognomen inquisiti ignorent, quem tamen deliquisse conspexerint. 3 Quoties duo testes ita discrepent sententiis, ut alter Reum criminetur, quem alter purget.

Testium repetitioni aliquando inquisiti renuntiant, quos tanquam satis, ac rite examinatos libello sua manu signato declarant: quo facto testes repetere haud ultra fas est. Quod de foro dumtaxat laicali intelligas.—Verum alii tutius opinantur, nefas esse Reo testium repetitioni renuntiare, in causis præcipue, ubi fama, vel salus, aut vita propria, vel aliorum periclitatur: nemo enim neque alienæ, neque propriæ famæ, vel salutis dominus est; quocirca nulli integrum erit, eam periculo amittendi derelinquere; præsertim quum repetitio de substantia judicii esse censeatur.

In flagranti, vel notorio crimine, quod in longum pertrahere nefas est, testium repetitioni locus non datur. Testes enim nonnisi semel post Rei capturam audiuntur. Scilicet post præstitum coram ipso Reo jusjurandum, à Judice interrogantur; mox et Reus ipse interrogatur, et quidem etiam per suggestionem, quam criminis evidentia permittit: tum simul testium, et Rei, quas Judici dederint, responsiones in Acta rediguntur, ex quibus probationes pro flagrante, vel notorio crimine depromuntur, adeo ut nulla ulteriori probatione opus sit: *Cap. 21 de Jurejurando, Cap. 8 de Cohabit. Cleric. et mulier.*, et *Cap. 9 de Accusat.*

Jam vero distinguitur à notorio flagrans. *Flagrans* enim crimen significat clam licet perpetratum, de quo tamen testes, qui inibi præsentés adfuerint, deponant: *Notorium* vero delictum præfert publico in loco, et coram populo palam admissum: porro procedendi forma in utroque eadem pene est. Videsis Gonzalez in *Cap. 9 de Accusationibus*, et Antonium Gomez *Lib. 3 Variar. cap. 1 à n. 40.*

Quid si Reus ultro crimen fateatur? num et defensiones etiam indulgendæ? ita quidem. Poterit enim adversus suam ipsius confessionem excipere erroneam fuisse, mendacem, vel absurdam. At licet criminis confessio nullo pacto impugnari quiverit, non una tamen Reo patet via ad sese defendendum. Poterit enim excipere, vel necessitate adactum, vel sine dolo crimen perpetrasse, vel fortuito, vel præter voluntatem. Porro hæc simpliciter proferre non juvabit, sed pro virili erunt ad-

truenda. Profecto ubi in crimine ambiguum quid, controver-
sumque erit, non parvi erunt roboris ad crimen, sin minus
diluendum, saltem enervandum.

Processu plene instructo, iudicis est inquirere, num ex
probationibus in eo conclusis possit reus damnari. Profecto
quum de pœna corporali infligenda agitur, præcipue capitali,
indicia, et præsumptiones satis non habentur; sed probatio
requiritur non modo plena, verum et indubitata, ac luce meri-
diana clarior: ita D.D. in *Leg. fin. Cod. de Probationibus*: et
Leg. 26 Tit. 1 Partit. VII.)

* Selvagii §. *de tortura reorum* omittimus, quia, ut ipse affirmat, «in
curiis illa ecclesiasticis in desuetudinem abiit,» et in Hisp. proscripta reg-
nante Ferdinando VII (Reg. sched. 25 Jul. 1814.)

Quod ad criminalem processum generatim attinet, is apud nos in Eccl.
tribunalibus eadem methodo ac in sæcularibus instrui solet: v. hoc de propo-
sito Reg. ordinat. 40 Apr. 1836. — Huc quoque spectat Reg. decret. 26 Maji
labentis an. 1854, ex quo sequentia extrahere opportunum censemus:

Art. 1.º «A ningún procesado se recibirá *confesion con cargos*; sin per-
juicio de que se le puedan recibir cuantas declaraciones estime el juez con-
veniente.

Art. 2.º «En las causas contra reos ausentes, no se ratificarán en el tér-
mino de prueba los testigos del sumario, sino cuando lo solicite el ministerio
fiscal ó el acusador particular.....»

Art. 7.º «Cuando se duda si los procesados son ó no pobres, exigirá el
juez al alcalde del domicilio una certificación en que, bajo su responsabili-
dad, conste dicho extremo. Sin embargo, podrán practicarse, á instancia
fiscal ó de parte, las diligencias que con este objeto crean pertinentes los
tribunales.

Art. 8.º «Declarado pobre un litigante en primera instancia, seguirá dis-
frutando del beneficio que la ley le concede, sin mas justificación, en todas
las ulteriores instancias; á menos que la parte contraria, el ministerio fiscal
ó el administrador de Rentas hicieren oposicion, por haber mejorado. aquel
de fortuna.

Art. 9.º «En las causas criminales no harán las partes en sus escritos ju-
ramento alguno.....»

Inserere quoque juvat Barchinon. Selvag. Adnot. observationem (t. 5
pag. 112), quæ sic se habet: «Ecclesiastici iudices nequeunt mandata incar-
cerationis vel detentionis contra laicos ad executionem trahere, nisi prius im-
petrato *brachii sæcularis* auxilio, uti expresse innuitur ex legg. 4 et 12
tit. 1 lib. 2 *Novis. Rec.* Pari modo, si laicus iudex ad ecclesiastici cujusdam
fori privilegio gaudentis incarcerationem vel detentionem procedere debeat,
prius iudicis ecclesiastici veniam petere tenebitur, ipsum de delicto commisso
certiorem faciens, ut apprime cognoscere valeat, utrum juste clericus civili-
lis carceris molestiis afficiendus sit necne. Demum obiter notandum est, cle-
ricos, præcipue sacerdotes, incarcerandos, ex Reg. decreto 17 Oct. an. 1855,
in carceribus specialibus conjici debere, vel si id commode fieri nequeat, in
locis communium carcerum honestioribus, dummodo sufficienter reorvra

securitati consulatur.»—Reg. decreto 30 Sept. 1855, de præsumpt. delia-
quentium incarceratione regulæ præscribuntur.*

TITULUS XIV.

DE SENTENTIA, ET RE JUDICATA.

1. SENTENTIA QUID?—2. EA VEL DEFINITIVA, VEL INTERLOQUUTORIA.—5.
UTRIUSQUE DISCRIMEN.—4. SENTENTIA A COMPETENTE JUDICE.—5. ET PRO TRIBUNA-
LI SEDENTE.—6. ET IN SCRIPTO FERENDA EST.—7. AN A JUDICE RECITANDA?—8.
QUO IDIOMATE CONCEPTA ESSE DEBEAT?—9. AN NOCTU FERRI POSSIT?—10. JURI, AC-
TISQUE, ET PROBATA CONGRUENS, CERTAQUE ESSE DEBET.—11. CONDEMNATIO IN EX-
PENSAS, ET FRUCTUUM RESTITUTIO.—12. SENTENTIA QUANDO TRANSEAT IN REM JU-
DICATAM?—13. IN QUIBUS CAUSIS IN REM JUDICATAM NUNQUAM TRANSEAT?—14. REI
JUDICATE EXECUTIO.—15. QUIS REM JUDICATAM EXEQUITUR?—16. QUIBUS IN REBUS,
ET QUO ORDINE EXECUTIO FIAT?—17. EXECUTIO IN BONIS MOBILIBUS, ET IMMOBILI-
BUS.—18. AUCTIO, ET DISTRACTIO PIGNORUM.—19. DEBITOR QUANDO IN CARCEREM
DETRUDENDUS?—20. CESSIO BONORUM.—21. QUEMADMODUM EA FIAT, ET IN QUO DIF-
FERAT A RESCRIPTO QUINQUENNII?—22. BENEFICIUM COMPETENTIE.

1.

JUDICIARIA disceptatione absoluta, oritur *conclusio in cau-
sa* (1), et à iudice ferenda sententia est. Definitur sententia:
iudicis pronuntiatio super re à litigantibus proposita, condem-
nationem, vel absolutionem continens, et controversiam defi-
niens (2). Justiniani legibus cautum erat, ut iudex sententiam
non ferret, nisi primum juratus declarasset, se procul habuis-
se studia partium, atque una ante oculos habita justitia, et
veritate, causam judicasse (3). Sed hodie hoc juramentum
emittunt iudices, cum munus iudicandi suscipiunt (a).

(1) Formula hæc à Decretalibus Pontificiis in forum civile defluxit. c. 5
§. 5 de caus. possess. et propr., c. 9 de fid. instrum.

(2) L. 1 ff. de re judicat. Multa de hac sententiæ definitione habes à Cu-
jacio in cod. tit. de senten. et interloq. opp. t. 9 col. 996 ed. cit. recte, et
sapienter animadversa, ubi etiam multæ sunt leges, quæ ad hunc locum
pertinent, diligenter explicatæ. Vide etiam Donellum in l. 1 ff. de re judic.
opp. t. 11 col. 117 et seq. ed. cit., qui de illa Modestini definitione in diet.
l. 1 accurate disputat. et Philippum Vicatum vocabul. jur. verb. Sententia.

(3) L. 12 cod. de judic.—V. leg. 24 tit. 22 *Partitæ III.*

(a) *L. 5 tit. 1 lib. 11 *Novis. Compilat.**

2. Sententia vel est interloquutoria, vel definitiva (1). Inter-
loquutoria est, quæ non dirimit controversiam, de qua præcipue
quæritur, neque super ea fertur, sed super quæstione inter ju-